

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ecclesiæ Ac Doctrinæ Lutheranæ Veritas, Ab
impugnationibus Novissimorum Papistarum, Præcipuè
Jodoci Kedpii, Nec non Viti Erbermanni, Vindicata**

Nifanius, Christian

Bilfeldiæ, 1673

§. 35.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35616

§. 35.

Sufficeret hic quinq; secularis Ecclesiæ Patrum ac Doctorum consensus ad probandam nostram doctrinam de gratuita per fidem justificatione. Ast quo magis pateat, hanc doctrinam nostram semper fuisse traditam, alia è pluribus selecta testimonia subjiciemus. *Seculo sexto floruit Ioschius Presbyter Hierosolym. qui lib. IV. in Levit. in cap. XIV. pag. 306. edit. Paris. 1581.* hæc tradidit: *Miseratus Deus humanum genus, quum illud ad explenda legis opera infirmatum vidisset, jam non ex operibus salvare, sed per gratiam hominem voluit. Gratia vero ex misericordia atq; compassione præbetur, & fide comprehenditur sola, non ex operibus, ut Paulus dicit, nam gratia jam non erit gratia.* Eodem seculo floruisse dicitur *Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, qui sermone in Psal. vi. Tom. III. antiquæ lection. Henr. Canis. pag. 103. edit. Ingolstadt. 1603.* ita loquitur: πιστεὶς ζητῶ σωθῆναι τίστεὶς τοῦ θεοῦ εἰς τὴν περ Fidem quero salvus fieri, per Fidem inquam, non ex opere: ut & ego tua benignitate audiam: fides tua te salvum fecit. Nemini enim omnium, quibus veniam dedisti, Domine dixisti: operatua salvum te fecerunt, vade in pace, quia nostra omnis justitia, tanquam pannus menstruatae in conspectu tuo: itaq; rursum ajo, salvum me fac propter

misericordiam tuam : & misericordia tua subse-
 quatur me omnibus diebus vita meæ. quomo-
 do orthodoxam de justificatione nostri
 coram Deo sententiam Seculo Septimo Gre-
 gorius M. Episcopus Romanus ; Seculo
 Octavo Venerabilis Beda, Albinus seu Alcui-
 nus, Carolus Magnus, Damascenus : Seculo
 Nono Ludgerus primus Episcopus Mona-
 steriensis, Lupus Servatus Pastor Mogun-
 tinus, Haymo Episcopus Halberstadiensis,
 Strabus Fuldensis : Seculo undecimo (nam
 seculum decimum, teste Bellarmino in
 Chronol. infelix fuit seculum in quo nulli Scri-
 ptores illustres, nulla Concilia, Pontifices pa-
 rum solliciti de Republ.) Anshelmus Episco-
 pus Cantuariensis : Seculo duodecimo Ru-
 pertus Tuitiensis, Bernhardus Abbas Cla-
 revallensis : Seculo decimo tertio Honorius
 Augustudunensis : Seculo decimo quarto &
 quinto Scholastici quamplures propugna-
 rint, propriis Autorum verbis demon-
 stravimus in Ostens. Hist. Theol. quod
 Carolus M. in quamplur. fidei artic. formaliter
 non fuerit Papista, Tit. VIII. §. I. 2. 3. pag.
 467 seq. Ubi similiter D. Adolphi Godofr.
 Volusii Theologi Moguntini appendicem,
 quam Aurora sua subjicit, exhibentem

paradigma consensus fundamentalis in doctrina de Justificatione hominis peccatoris coram Deo Patre per Filium in Spiritu S. natà nōda examinavimus. Nescio tamen qua fortuna factum, quod illa, quæ in ipsa Aurora contra exercitationis meæ de Fide infantium Baptizatorum à vindiciis D. Volusii modestam vindicationem cum approbatione Veneranda Facult. Theol. in illustri Giess. Academia ibidem ann. 1664. edit. scripsicerat, tum nec viderim, nec legerim. Si forte illud plus justo rigorosius urgere velit Volusius, regero, quare illa, quæ de fidei certitudine scripsiceram pag. 49. 50. 51. tantum viderit, legerit atq; examinaverit, reliqua vero silentio approbaverit. Postulatum D. Volusii in Catechismo edit. Mogunt. an. 1663. pag. 99. erat tale : *Si D. Nisanus ex toto codice sacro vel unum Scripturæ locum ostendere possit, in quo vel totidem verbis dicatur : Certum est absolutè & sine omni conditione D. Nisanum salvatum iri; vel unde id per talem consequentiam deduci possit, quānemo nisi velfatuus vel notoriè protervus negare possit, Tridentinū Concilium in hoc errasse, ingenuè profitebor. Jam tum reprobavi certitudinem absolutā, mediis nullis inclusam. Non enim Deus nos justificat absolutè, quocunq; etiam modo nos habeamus, sive*

credendo, sive non credendo, sed ordinate: quæ cœritudo ad ordinem Dei constitutum in Evangelio de Fide in Christū, indivulsum respectum habet, immota tamen est & in-dubia. Alii vocant certitudinem conditionatam, non tamen intelligunt legalem, sed Evangelicam fidei. Deinde approbo, quod D. Volusius admittat probationes, non tantū quæ totidem verbis in sacris literis extant, sed etiam quæ per consequentiam inde deduci possint. Hoc sensu tales proposui syllogismum practicum: Quicunq; in Filium Dei credit, ille habet vitam eternam, estq; iustificatus. Hæc propositio est ipsius Sp. S. Joh. III. 16. Cōf. Joh. VI. 40. Marc. XVI. 16. Rom. III. 22. Subsumo jam: Atqui Ego credo in Filium Dei. Ergo Ego scilicet ut credens in Filium Dei, habeo vitam eternam & sum iustificatus. Respondet D. Volusius: Quamvis major propositio sit ipsius spiritus S. Joh. III. 16. Non tamen est absoluta, sed aequipollit huic conditionata. Si ego credo (fide vera & viva) in Filium Dei, habeo vitam eternam (subintellige, in spe, nondum tamen in re] sub hac autem conditionata non comprehenditur hæc singularis (Ego Nifanius credo. Ergo nulla consequentia. Bene est, quod admittat Volus. Majorem propositionem esse ipsius Spiritus Sancti. Nec aliter potuit.

it. Nam ita legimus Joh. III. 16. sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnes, qui in ipsum credunt, non pereant, sed habeant vitam aeternam. Et vers. 36. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. ACT. X. 43. Huic (Christo) testimonium dant omnes Prophetæ, quod per hunc accipiat remissionem peccatorum omnis, qui credit in eum. Et cap. XIII. 39. Per hunc omnis, qui credit, justificatur. Deinde propositio major, etsi vim hypotheticæ enunciationis habere, eiq; æquipollere possit, sicut omnis propositio, ordinè modumq; certum includens, hypotheticæ propositionis naturam induere potest : nihilominus assumptio hypothesis illam in categoricam transmutat pronunciationem, dum homofidelis afferit, se ex verbo Dei credere in Filium Dei. Unde etiam conclusio inferenda est per modum enunciationis categoricæ & certæ ; cum enim in assumptione hypothesis illa transeat in categoricam, necessariò etiam in conclusione pars altera propositionis majoris modo categorico & certo, non vero hypotheticō & incerto est efferenda. Porro omnino intelligimus Fidem, non quamlibet vanâ & vacuam, sed verâ & vivam, seu fiduciâ

vivam in Christum Jesum, æternum Dei
 Filium, omnium gentium desiderium, quò
 per eum justificemur & salvemur : quæ
 efficit, ut vitam æternam jam habere dica-
 mur, non quidem manifestam, sed abscon-
 ditam Gal. III. 4. non in re, sed in spe, Rom.
 VIII. 24. quæ tamen spes ita certissima, & in
 Fidem Iesu Christi fundata est, ut eodem
 modo non requirat opera ad illam re ipsa
 consequendam, Rom. IX. 30. 32. Gal. III.
 2. II. 14. *Qui habet Filium, jam habet vitam*
 1. Joh. V. 12. Omnis credens, vel Fide ap-
 prehendens habet Filium. *Qui credunt jam*
transierunt è morte in vitam Joh. V. 24. VI. 54.
 non solum credunt transitum esse possibi-
 lem, aut hoc medio faciendum. Qui cre-
 dunt sunt Filii Dei per fidem Gal. III. 26.
 Rom. VIII. 14. per Fidem sunt Filii, credunt
 se esse, non solum esse posse filios : idque
 Apostoli de Christianis promiscuè testan-
 tur, nulli specialis revelationis facta men-
 tionc.

§. 36.

Ad instantiam meam, vel potius mi-
 noris probationem : generale suum inclu-
 dit speciale : sed promissio est generalis.
 E.